

4/2001

IDIBVS NOVEMBRI

MMI

RMOR VARIVS
RMOR VARIVS
RMOR VARIVS
RMOR VARIVS

RMOR VARIVS

RMOR VARIVS
RMOR VARIVS
A D I V C

TOMVS 24

FASC. 140

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA HELVETICA, in aedibus, quibus nomen EDITIONS DU LAC est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCC

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia CHF 27.-

In ceteris Europae terris CHF 32.-

In terris trans maria sitis US\$ 30.-

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Ulrich (Udalricus) Aeschlimann, lic. phil. I

Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)

Estelle (Stella) Gitta

Barbara Maier

Martinus Meier

Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Estelle Gitta

Typographeum: Gasser Graphische

Unternehmung AG, Rapperswil

RV mittit: Christina Meier-Portner

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum

editoriam: RVMOR VARIVS,

C/o EDITIONS DU LAC

Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex

E-mail: e.gitta@bluewin.ch

www.aeschlicity.ch/rumor_varius

Institutum pecuniarium:

UBS, Zürich-Oerlikon

U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETATE LATINA HELVETICA, bei den EDITIONS DU LAC herausgegeben. RV est publié par la SOCIETATE LATINA HELVETICA aux EDITIONS DU LAC

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich/paraît 6 fois par an

Auflage/tirage: 300

Abonnementspreise/prix de l'abonnement (jährlich/annuel)

Schweiz/Suisse CHF 27.-

Europa/Europe CHF 32.-

Uebersee/outre-mer US\$ 30.-

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich

Des spécimens peuvent être obtenus gratuitement

Redaktionsteam/équipe rédactionnelle:

Ulrich Aeschlimann, lic. phil. I

Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)

Estelle Gitta

Barbara Maier

Martin Meier

Daniel Weissmann

Grafik und Layout/graphisme et layout:

Estelle Gitta

Druck/impression: Gasser Graphische

Unternehmung AG, Rapperswil

Expedition/expédition:

Christine Meier-Portner

Verlagsadresse/adresse de la maison d'édition

RVMOR VARIVS, c/o EDITIONS DU LAC,

Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex

E-mail: e.gitta@bluewin.ch

www.aeschlicity.ch/rumor_varius

Bankverbindung/institut bancaire:

UBS, Zürich-Oerlikon

U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Iam RUMORIS VARIII libellus quartus adest. Quid vobis affert? Inter multa legendo digna altera pars comoediae 'Romulus Magnus' Friderici Dürrenmatt sequitur. Praeterea primam partem relationis valde iucundae ad artem musicam pertinentis titulo 'Quid lingua Latina in operibus nostrae aetatis musicis valeat' in hoc libello invenietis. Quam nobis misit Werner Schubert (nomen est omen!), qui munere professoris linguae Latinae in universitate Bernensi fungitur.

Initio autem ecce nonnullae sententiae variae:

Stultus quicumque mortalium urbes delet,
et templa et sepulcra, sacra mortuorum,
vastans ipse perit posterius.

Euripides, Troades

Homo iustus non est ille, qui iniuriam non committit, sed ille, qui, cum committendi occasio sit, ea non utitur.

Menander

Quidquid delirant reges plectuntur Achivi.

Q.Horatius Flaccus

Nova cogitandi ratio necessaria est, si genus humanum supervivere vult. Haec est maxima difficultas nostrae aetatis.

Albert Einstein

Omnis religio aliena aequae sancta sit ac propria.

Jean Paul

Vis aditum ad corda hominum numquam invenit.

Molière

Non ignoscenda ignoscentes homines amori divino proximi sunt.

Gertrud le Fort

Vis multo plures difficultates producit quam solvit.

Martin Luther King

Genus humanum bello finem facere oportet, aut bellum generi humano finem faciet.

John.F. Kennedy

Veritas non error fit propterea quod a nemine agnoscitur.

Mahatma Gandhi



Valete!

Daniel Weissmann

AENIGMA RV 4/2001

1	2	3	4	5
2				
3				
4				
5				

1. origo herbarum, florum, arborum...

2. dea Celtica equorum

3. incittavit vel fugavit

4. eluce!

5. pars corporis hominis, ad sedendum apta

Daniel Weissmann

Proverbia Hispanica

Si dieres de comer al diablo, dale trucha en invierno y sardina en verano.

Si diabolus cibum dederis, da ei farionem hieme et sardinam aestate.

*

La perseverancia todo lo alcanza.

Adipiscitur omnia perseverantia.

*

Bien hablar no cuesta nada.

Bene loqui gratis constat.

*

Acuérdate, nuera, de que serás suegra.

Recordare, nurus, te fore socrum.

*

Justicia, mas no por nuestra casa.

Iustitia, sed non per nostram casam.

*

No hay boda sin tornaboda.

Non sunt nuptiae sine die post nuptias.

*


O morirá el asno o quien lo aguija.

Aut asinus aut ille, qui eum stimulat, morietur.

Quien amaga y no da, miedo ha.

Ille, qui minatur et non agit, metuit.

*



Duro hueso tiene que roer.
Os durum est rodendum.

*

Ninguno está contento con su suerte.
Sua sorte nemo contentus est.

*

Tiempo y viento, mujer y fortuna, presto se muda.
Et tempus et ventus, et mulier et fortuna subito mutantur.

*

Primero pensar, y después hablar.
Primum secum deliberare, tum loqui.

*

Ayer porquero, y hoy caballero.
Heri subulcus, hodie eques.

*

En boca cerrada no entra mosca.
In buccam clausam musca non intrat.

*

Necios y porfiados hacen ricos los letrados.

Nescii et obstinati causicos divites faciunt.

*

Danle el dedo y toma la mano.
Ei da digitum, et manum capit.



In Latinum vertit Daniel Weissmann

Quid lingua Latina in operibus nostrae aetatis musicis valeat

Prima pars: Exordium

Concilio Vaticano Secundo dimisso etiam lingua Latina, quae adhuc aliquantulum viguerat, sive in ritu Ecclesiae Romanae, sive in commercio Vaticani publico, e concentu linguarum vivarum est dimissa. Quod iam pridem exspectandum erat, etiamsi lingua Latina ex illis temporibus, cum linguae Romanae quae dicuntur exstitissent, utebantur illi, qui eam communem sacri Romani imperii Germanicae nationis linguam esse voverunt; at societates eorum, qui hac lingua uti poterant, continuo deminuebantur. Quo factum est, ut lingua Latina magis magisque etiam ex artibus liberalibus eiceretur, cum iam in Ecclesia Catholica paulatim minoris aestimaretur non modo nostris, sed etiam praeteritis temporibus; quod apparet e necessitate purgandae sive emendandae Latinitatis, quam primum initio regni Caroli Magni, deinde renascente aevo homines docti, qui Latinitati fovendae se dederent, oppressam ab ignorantia malevolentiaque in integrum statum redigendam curabant. - Frustra! Nam Latinitate paulatim expulsa ac fugata aliae linguae de summo in artibus liberalibus loco dimicabant. Lingua Latina autem parum viva non modo in latebris quibusdam vitam tristem pipiando degere est coacta; immo vero his in latebris ipsis non desunt, qui eam obmutescere velint, ut non multum absit, quin e societatibus Latinitati fovendae paulatim societates Latinitati defodiendae fiant¹. Quae cum ita sint, tamen concedendum est linguam Latinam commune Europae aliquando sociatae vinculum haud fieri posse, non quia mortua habetur, sed quia omnes fere linguas ceteras sermo Anglicus ubique terrarum multis ex causis, quas referre mihi opus non est, superare superaturaque videtur.

Itaque mirum non est, quin vix invenias quemquam, qui Latine scribere,

nedum loqui sciat: fortasse in conciliis, quae supra commemoravi; vix in seminariis academicis, sive in exercitationibus, quae Germanice «Stilübungen» nominantur, sive in colloquiis Latinis. Inde apparet tempora Latinitati maxime infesta esse, quia plerique hominum ignorant illam re vera ad colloquendum adhiberi posse; immo vero multi homines eruditionem linguae Latinae mirum quoddam tormentum a magistris crudelibus legibusque parum comibus adhibendum putant.

Nusquam ergo viget lingua Latina. Nusquam? Minime! Si enim trans hortum philologiae conclusum oculos nostros intenderimus, videbimus nonnullis in disciplinis linguam Latinam vivam adhuc magni aestimari; etiamsi non loquuntur homines, at saltem utuntur lingua Latina scribendo et legendo. Quam aestimationem necrophilian quandam perversam putare minime cuiquam licet. Mirum tamen est, quod aestimatio illa, quam commemoravimus, homines adducit, ut libros nostris temporibus Latine conscriptos magno pretio emant, summo gaudio etiamsi non legant, attamen attente intueantur. Equidem non loquor de illis libris, quos antiqui auctores scripserunt, neque de illis, qui ad linguam Latinam in ludis instituendam conficiuntur, sed de libris quibusdam, qui a multis hominibus aut delectandi causa, aut supercilio sublato legantur aut omnino neglegantur, quibus inest mixtum quoddam e verbis et picturis compositum. Cuius generis exempla libros nomino, qui de rebus Asterigis gestis sunt, praeter quos etiam alias historiolas pictas velut comoedias Plauti picturis illustratas invenimus et multos et alios. Quos qui legunt atque diligunt, non modo tales sunt, qui in linguae Latinae studium per multos annos incubuerint, neque modo qui propter librorum picturis exornatorum amorem tam mala conscientia sint affecti, ut se lingua Latina ultro vexare cupiant, sed etiam iuvenes iuenculaeque, qui vix studio Latinitatis imbuti summum gaudium capiunt e rebus gestis Asterigis Latine conscriptis.

Quae scripta cum diligantur, simul demonstrant qua re institutio linguae Latinae hodierna maxime laboret; nam apparet linguae Latinae aliquo

spiritu ad vivendum opus esse, qui ad sensus pertineat. Nam institutio linguae Latinae adhuc longe aliter ac linguarum ceterarum nimis ingenium, oculos auresque parum tangit. At sensus hominum non modo intellegere, sed etiam delectari cupiunt! Quae res iamdudum manifesta tamen parum nota esse videtur. Non modo enim lingua Latina picturis exornata per longum tempus adhuc viguit, ut et oculos delectet, quod ex operibus tessellatis atque scriptis, quibus effigies pictae additae sunt, apparet, sed est quaedam linguae Latinae cum arte musica coniunctio, qua aures delectentur. Quam plus mille annorum repetere possumus. Immo vero nemo negat sine lingua Latina artem musicam non talem exstitisse, qualem novimus; fortasse numquam exstitisset. Qua coniunctione factum est, ut lingua Latina in re musica etiam adhuc valeat, quamvis taceat in ecclesia.

Dicat aliquis hoc neque mirum esse neque quicquam valere, quia tanto saeculorum ordine pauci textus Latini modis musicis exornati sint, velut *Ordo Missarum*, *Pater Noster*, *Ave Maria*, *Dies Irae*, *Stabat Mater*, quae omnia nihil facere ad linguam Latinam vivam. Quid, inquam, quod - mirabile dictu! - ad opus nostri saeculi hominibus notissimum conficiendum textus per longa saecula incognitos atque in bibliotheca Burana absconditos adhibuit Carolus Orff, modulator melodiarum ille celeberrimus? Quid, quod Ian Novák melodiarum compositor ille Moraviae per multa carmina Latina antiqua modis musicis affectit? At, inquis, haec omnia quidem minimi momenti sunt, quia nemo verba illa vocibus vel acutis vel gravibus, vel a singulis vel a multis decantata mente comprehendere potest. Cantetur licet Latine vel Graece vel aliter. Quid? Nonne iuvenes iuenculaeque satis demonstrare possunt, quid intersit inter cantica Anglica et cantica Germanica, quorum suo quidque sono maxime formetur?

Usus autem linguae Latinae neque illos, qui audiunt neque illos, qui decanant textus Latinos arte musica exornatos alioqui offendit. Immo vero textus Latine conscripti in aliam linguam numquam converti solent.

Quod aliis in linguis persaepe fit, ut saltem libellos Italianos nominem, qui saepissime lingua eius gentis redduntur, cui in scaenam producuntur. Lingua Latina tamquam aeterna musicae artis lingua videtur. Cum per longum annorum ordinem pauci textus Latine conscripti ad opera arte musica exornanda adhiberentur, nostro denique saeculo lingua Latina novum dignitatis gradum est consecuta, non modo in genere religioso, sed etiam in genere profano, velut in symphoniis, quarum Gustavi Mahler Symphoniam Octavam primam nomino. Quamquam textus Latinus, quem ille melodiarum inventor arte musica exornavit, e canticis Christianis est sumptus, tamen symphonia sua et religiosa et profana transcendere in animo habuit. Composuit enim Hymnum vel «Sequentiam», quae e verbis «Veni, Creator Spiritus» initium capit, cum novissima parte dramatis illius, quod Wolfgang Goethe confecit, quod est tragoediae, quae «Faust» inscribitur, altera pars. Genus symphoniarum autem ex saeculo duodevicesimo profanum Ludovicus van Beethoven Symphoniarum suarum Nona, in qua voces hominum cum instrumentis coniunxit, generi cuidam admovit, quod nunc «Oratorium» vocamus. Quo factum est, ut postea textus religiosi facile in Symphonias irrepserint, ut exstet nunc Secunda Symphonia Felicis Mendelssohn Bartholdy, quae «Laudes» nominatur, et Symphonia Psalmorum, quam Igorius Strawinsky confecit. Mahler autem textum religiosum cum textu profano ita coniunxit, ut esset alter alterius interpres. Quae coniunctio cum sit documentum quoddam eruditionis, quae ad renovata humanitatis studia pertinet, melodiarum modulatores alii, qui textus Latinos sive profanos sive religiosos adhibebant, non eruditioni tali, sed cultui catholico primum locum attribuunt, quod ad usum linguae Latinae pertinet. Velut Carolus Orff, ut exemplo quodam illustrissimo utar, dixit se mense Maio libentissime ad monasterium, quod Andechs appellatur, iter facere, ut in crepusculo ecclesiae latens aram auro multo ornatissimam flammisque candelarum multiples repercutientem spectaret; inde amorem linguae Latinae natam esse; inde opera sua vere intellegi posse.

Se non «ultimum humanistam» esse, quod textus Latinos atque Graecos adhiberet². Quibus e verbis apparet Carolum Orff imprimis per culturam catholicam ad linguam Latinam antiquam et mediaevalem pervenisse. At Carolus Orff non modo textus adhuc incognitos e fonte uberrimo sumpsit, sed etiam ipse poeta Latinus exstitit. Nam illas partes Catulli carmina, quae sunt canticorum illius celeberrima, circumcludentes Orff ipse composuit Latinitatis mediaevalis verba cum verbis Plautinis coniungens. Porro verba Latina, quorum ultimae syllabae persaepe congruunt, effectum quendam exhibuerunt, quem in Caroli Orff operibus creberrime invenimus, quo allectus esse videtur ad percussiones verborum repetitas, quas postea etiam illis in operibus invenire possumus, in quibus Germanica lingua usus est.

Werner Schubert
Heidelbergensis

(Dissertationis pars altera in proximo libello sequetur)

¹ Cfr Michaelis von Albrecht Epistula, in: *Vox Latina* 27, 1991, 452.

² Cfr Varnerius Thomas, ««In entwurzelter Zeit...». Die Antike im Musiktheater Carl Orff», in: M. von Albrecht / W. Schubert, *Musik in Antike und Neuzeit*, Frankfurt/M., Bern, New York 1987, 216.

VETERA QUIDEM, NON AUTEM OBSOLETA

(Altera pars)

IX

‘Tantum religio potuit suadere malorum’¹:

damnatur verbis virginis hisce cruor².

Quid, si Indos, Arabas, Christi Mosisque sequaces
novisset vatis praescia mens miseri?

1) Lucretius I, 100

2) Agitur, ut par est, de Iphianassa Dianae immolata.

X

Non flocci fecit res gestas Caesaris amplas,
quem timuere omnes, cantor amoris iners¹.
Qui curant hodie nebulones acta diurna
extollunt spurcos laude sua copreas.

1) Catull. XCIII

XI

Iuppiter Alcmenae iungi cum vellet amatae,
longior effecit nox lepida ut fieret.
At cui praepinguis foedissima contigit uxor,
iste preces recubans longe alias adhibet.

XII

Iuppiter Europam cupiens abducere secum,
taurinas species induit impigrior.
Ut vero captent hodie plerasque puellas,
ecce mares fiunt nunc asinis similes¹.

1) Ut par est, ad animos mentesque, potius quam ad corporeum corticem, hic spectamus.

XIII

Filius ut Semeles nasci posset, placuit tum
maternis fungi caelicolae vicibus.
Regula ne fiat nunc istud erit metuendum,
si proprias methodos inveniunt medici¹.

1) Exempli gratia, medicus quidam natione Anglus, cui nomen est Robertus Winston, nuperrime adfirmavit fieri posse ut fetus in maris ventre, potius quam in feminae utero, salubriter cresceret.

Orestes Carbonero

Verum ut fallatur, mendacia mille patescere

Homines, ut omnia quae vivunt, alio si aere vescuntur, alii fieri solent; hoc enim post hominum memoriam perpetuo constat. Itaque, cum, ut tempora, sic et animorum affectus et pulchritudinis genera sua quaeque producat aetas atque progrediens humana gens cum societatis figuras, tum excellentis pulchritudinis species post se relinquat, quae postea nunquam reperiantur, nec licet ulli aetati ex sua pulchritudinis aestimatione superiores aetates iudicare, nec ulla aetas a superiorum aetatum pulchritudine pulchritudinem suam mutuari debet. Quid igitur? Nec detrectare nec imitari decet, sed et nova excogitare et priora intellegere.


Licet mihi tamen haec pauca de officio diurnarii referre. Qualem vitam egit, tales eius libri reperiuntur. Plerumque enim per aliquam occasionem scripsisse videtur, animique vel delectandi vel exercendi causa, ut nec certae rationi deserviret, nec quidquam magnum mente complecteretur, nec ullius praecipui operis legem servaret. Nam, hac in re, ut in ceteris, spes eum defecerat, immo, ad extremum, ceperat taedium. Qui autem nullius rei studiosus est, is in maestitiam incidere solet.

Illius igitur viri si quis mores ingeniumque paucis verbis exprimere voluerit, sic, ut opinor, censebit: benignam quidem indolem eum a natura accepisse, summa mentis acie praeditum fuisse, liberaliter vixisse, multam operam in studia impendisse, denique nonnulla egregia condidisse opera; sed nec tantas ex se ipso prompsisse utilitates quantas in ceteros conferre potuerit, neque eam beatam vitam, quam iure speraverit, omnino assecutum esse.

Etenim quia timebat ne deciperetur, vitae, et amoris, et doctrinae, et arti diffusus, ea ipsa diffidentia deceptus est. Cum vero semper fiat ut aliqua re homines decipiantur, nescio an satius sit ad id ferendum aequo animo iam ante eos paratos esse.

Haud raro ineptiae indiligerenter ac mendose a diurnariis scriptae sunt. Nunc est ludendum.

Verus an falsus rumor ?



Locupletem me facit rumor !

1. Hannibalem, virum
Carthaginiensem, omnium exercitus ductorum summum fuisse plures historici arbitrantur. In Turcia, ubi ille mortuus est, effigies eius a societate amicorum Hannibalis floribus continenter ornatur.
2. Primus qui verticulas excogitavit, quibus vestes celerrime astringerentur quibusque nunc etiam bulgas aliasque res consuevimus claudere, non fuit vir quidam Britannus. Verticulas tractu clusares primum «Eureka» appellatas — est quidem, ut litterati probe noverunt, reapse verbum temporale Graecum, quod «inveni» significat — ante centum annos invenit puer Graecus, cum denticulatas rotas observaret.
3. De Insulis Societatis in Polynesia: Iacobus Cook, qui orbem terrarum est circumvectus, eas anno 1769 visit et honoris Londiniensis Societatis Geographicae causa ita nominavit.
4. Primus homo nigricolor Academiae Gallicae sodalis est Leopoldus Sedar Senghor.
5. Ladislaus Biro, vir Hungarus, non est graphii sphaeralis inventor. Apud Lintongum, pagus Sinensium qui XXX ferme milia passuum a Xihana (Xi'an) abest, archaeologi non tantum celeberrimum omnium Sinarum exercitum fictilem velut in aciem instructum ad imperatoris sepulcrum contra hostes defendendum invenerunt, sed etiam calamum mirum. Id instrumentum est tubulo, quo atramentum continetur, et sphaerula, ad scribendum apta, instructum ideoque, ut liquet, cuspi de caret.

6. Ritus funebris novus a moderatoribus Foederatarum Civitatum Americae Septentrionalis permixtus est; nempe Societas Londiniensis Earlibitina singularem et novum morem sepeliendi proposuit: cineres defunctorum, in urnis inclusi et in capsula siderali locati, pretio haud parvo, aeronavi inane infinitum petenti imponentur. Consanguinitate propinqui amique tristitia affecti ope telescopii aspicere poterunt «sepulcretum siderale».

7. In urbe Novo Eboraco, intra Civitatum Foederatarum fines, haud raro in scholis violentiae cruentae etiam ope manuballistarum ignivomarum solent patrari. Quapropter magister urbis in introitu plurium scholarum secundi ordinis instrumentum metallum detegens, quo ingredienti explorarentur, esse voluit. Saron Caplan, interfecti pueri mater, cum spectaculo televisifico breve mercium praekonium ut asolet, insertaretur, imagunculas, in quibus sive ludens sive in sanguine iacens puer ostendebatur, interposuit celerrima successione evolutas. Quae quidem ob nimiam velocitatem oculis cerni non poterant, sed idoneae erant ut in subconscientia spectatorum haerent. Quid plura? Super hebdomadas tres nulla manuballista ignivoma emitur.

(Acta diurna The New York Times, 25.7.2000)

8. E priscis figuris graphio exaratis notum est priscos homines iam nartis usos esse ad prolabendum super nives. Archaeologi quidem Russi, qui pagum sublicium secundum ripam fluminis Borysthenis pervestigarunt, soleam oblongam in modum nartae conformatam repperunt. Qui radiocarbonio C 14 usi statuerunt hoc instrumentum ad aetatem neolithicam pertinere.

Haec vobis proposuit Stella GITTA nonnullis scriptis ephemeridibusque nixa

Solutions: 1 V; 2 F; 3 V; 4 V; 5 F; 6 V; 7 F; 8 V

SOLVTIONES

"Maiorem fidem homines adhibent iis, quae non intellegunt"

T H R I V E R I V S
 E S L
 B V R C A R D V S
 L X T H E R
 H E I O A N N E S
 A F R E V S
 L B A C C A L A V
 H I V I D E R I C A
 R V N N M M A
 V R I C A
 A M A N G L I C V S
 I V S
 G R A E C A S T E
 R E C T O R A T V M
 T E R E N T I V M
 V P E A M D I
 L V D V M B A S I L E A M D I
 I A N N A T I
 G I
 C A R O L V S
 M

Titulus operis: Herbarium novum

◡	=	A
○	=	B
⊗	=	C
◆	=	D
♣	=	E
✕	=	F
✈	=	G
☐	=	H
⊖	=	I
⊕	=	L
☞	=	M
✱	=	N
✂	=	O
♣	=	P
⋈	=	R
☺	=	S
♣	=	T
✕	=	V
⊗	=	X

Estelle GITTA

Errare humanum...

Gratias maximas agimus P. C.. Eichenseer, qui nobis scripsit:
in fasciculo 2/2001

pag. 30: munus meum denique alicui... [Recte: tandem]

pag. 33: Vivat linguam Latinam! falso; Recte: Vivat lingua Latina!

pag. 36: Guilielmus: rectius Villhelmus.

pag. 37: conditjonis, hoc sensu recte condicjonis

pag. 39: millia, recte: milia

pag. 42: intelligere, melius rectiusque: intellegere.

Lysistrata adhuc vivit!

Ut actis diurnis Turcicis 'Hürriyet' nuntiatur, feminae cuiusdam vici Turcici meridiani nomine 'Sirt' eandem rationem, qua illa celeberrima mulier Atheniensis in comoedia titulo 'Lysistrata' poetae Graeci Aristophanis utebatur, adhibuerunt, ut assequerentur, quae cuperent.

Quia vici aquaeductus rupti erant, nonnulla chiliometra usque ad fontem feminis eundum erat ad aquam potabilem et puram apportandam. Viris refectionem fistularum non curantibus feminae, quas taedebat aquam procul apportare, decreverunt coitum cum maritis repudiare, donec fistulae reficerentur. Pleraeque mulieres huic detrectationi coeundi interfuerunt.

Ad haec praefectus vici: «Non negari potest», inquit, «feminas iure resistere, sed nos viri hac actione patimur.»

Post unum mensem feminae assecutae sunt, ut viri voluptatibus cubilium detractis refectionem aquaeductuum curare tandem inciperent. Regimen promisit se novas fistulas comparaturum. Tum fistulae viris instruendae erant; ad quem laborem conficiendum iterum spatium unius mensis opus erat. Praefectus vici affirmavit se beatum esse, sed non dixit, utrum novis fistulis an propterea, quod uxor sua in cubile reverteret, magis gauderet. Nonnullae feminae non contentae esse promissis tantum fistulis referuntur, sed detrectationem coeundi pergere voluerunt, donec aqua iterum ex epitoniis casarum flueret.

Itaque feminae refactionem fistularum eadem ratione assecutae esse videntur, qua in comoedia Aristophanis viri Athenienses et Lacedaemonii a mulieribus cogebantur bellum componere et pacem constituere.



Daniel Weissmann

Res variae et mirae de bestiis

Canis venatorem sclopeto deiecit


Ut custodes publici nuntiant, apud vicum Germanicum nomine 'Bad Urach' vir 51 annos natus in suo agro venatico¹ mortuus prope autocinetum suum inventus est. Nondum clare apparet, quid factum sit, sed crimen vel suicidium excludi posse videntur. Fistula² sclopeti e porta aperta autocineti eminuit. Itaque verisimile est canem, quem in autocineto sedisse constat, pede manuclam³ sclopeti tetigisse et ita ictum mortiferum emisisse.

Ovis se defendit



In Aegypto ovis ad victimam sacrificiorum sollemnium islamicorum designata possessorem suum graviter vulneravit. Ovis in tecto casae sustenta virum 60 annos natum ictu capitis de tecto deiecit, cum ille ei pabulum dare voluit. Senex compluribus ossibus fractis in nosocomium latus est. Ovem emerat, ut eam in sacrificiis sollemnibus islamicis nomine 'Eid el Adha' mactaret. In urbibus Aegyptiis saepe victimae ante sacrificia in tectis casarum vel cellis sustinentur.

Stercus caninum suspectum



Gandavi (Gent) in urbe Belgica propter merdam caninam conclamatio bombae⁴ facta est, ut acta diurna Flandrica 'Het Laatste Nieuws' referunt. Mercator potionum in puteo plano fori rem parvam colore subfusco et cono similem aspexit. Suspiciens id bombam esse custodes publicos advocavit. Qui statim aditus fori praecluserunt. Tum duo vigiles serpentum modo ventribus ad puteum repserunt, ut bombam inspicerent. Corpus dispo-


sivum, quod putabatur, id, quod re vera erat, cognoverunt: Stercus caninum.

Canis et telephorum mobile

In Britannia possestrix novi telephoni mobilis (quod etiam 'handy' vel 'natel' dicitur) miro casu necopinato obstupefacta est: Cum telephorum mobile, quod donum natalicium acceperat, non iam inveniret et eius numerum seligeret, ut sciret, ubi esset, subito canis amici eius tintinnare incepit. Qui - canis venatorius erat - sub arbore natalicia telephorum mobile investigaverat et devoraverat. Nihil superfuit nisi doni involucrum.

Ferrivia venerunt

In agro pristinae stationis hamaxostichis diribendis⁵ apud Basileam sitae



genus papilionis rarum repertum est, quod alio loco in orientali regione tantum maris interni vivit. Praeterea multa genera herbarum, florum animaliumque in hac regione non nisi in agro illius stationis inveniuntur.

Hoc genus papilionum, cuius nomen Latinum est 'Typhonia beatricis', tantum in agro ferriviario inter vicum Germanicum 'Haltingen' et Basileam versatur, ut societas Pro Natura Basiliensis refert.

Propterea experti putant hos raros papiliones traminibus in regionem Basiliensem venisse. In agro illius stationis id naturale domicilium, quod praeferunt, invenerunt: Terra parca et paucis herbis praedita.

Daniel Weissmann

1 ager venaticus, -i -i

Jagdrevier

2 fistula, -ae f

Lauf (des Gewehrs)

3 manucla, -ae f

Abzug

4 conclamatio bombae f

Bombenalarm

5 statio hamaxostichis diribendis

Rangierbahnhof

ROMULUS MAGNUS

Friderici DÜRRENMATT (1921-1990) Helvetii narratoris et comoediographi ingeniosi ROMULUS MAGNUS («Romulus der Grosse») comoedia historica fidei historicae contraria quattuor actibus scripta, anno 1948 primum acta, annis 1958 et 1964 retractata, anno 2000 a Nicolao GROSS Germano Coreanensi in Latinum conversa.

Comoediae pars altera

Administer rerum domesticarum mentis non iam compos est.

TULLIUS ROTUNDUS: Maiestas! Agitur de nuntio, quo convertitur orbis terrarum!

ROMULUS: Nuntiis numquam convertitur orbis terrarum. Quod fit factis, quae non iam possumus mutare, quia iam facta sunt, cum accipiuntur. Nuntiis nihil fit nisi homines excitantur, itaque oportet quantum possunt iisdem desuescant.

Tullius Rotundus animo perturbato caput inclinat et exit sinistrorsum.

Pyramus Romulo apponit magnum assum bovinum.

ACHILLES: En Apollyona mercatorem imaginum fictarum.

A sinistris venit Apollyon mercator imaginum fictarum, Graeco more elegantis vestitus. Dorsum flectit.

APOLLYON: Maiestas.

ROMULUS: Per tres hebdomadas te exspectavi, Apollyon mercator imaginum fictarum.

APOLLYON: Ignoscat mihi Maiestas tua, Alexandriae particeps fui auctionis.

ROMULUS: Tunc praefers auctionem Alexandrinam concursui creditorum Imperii Romani?

APOLLYON: Negotia, Maiestas, negotia.

ROMULUS: Licet sint. Nonne contentus fuisti imaginibus fictis, quas tibi vendidi? Ipsa Ciceronis imago erat pretiosissima.

APOLLYON: Res vere extraordinaria, Maiestas. Potui quingentas imagines gypso expressas mittere ad gymnasia, quae nunc conduntur ubique in silvis Germanicis.

ROMULUS: Per Deum, Apollyon, num Germani erudiuntur?

APOLLYON: Lumen rationis non potest impediri. Germani si patriam suam ad cultum civilem redegerint, non iam invadent in Imperium Romanum.

Maiestas dissecat assum bovinum.

ROMULUS: Germani si venerint in Italiam et Galliam, a nobis erudientur, si in Germania manserint, se ipsos erudient, quod puto fore formidabile.

Heus vin' emere statuas reliquas an non?

Mercator imaginum circumspemat.

APOLLYON: Quae iterum mihi subtiliter perquirendae sunt, Maiestas. Dubium esse videtur nonnullarum genus fingendi.

ROMULUS: Omnis imago tali genere ficta est, quali digna est. Achilles, da scalam Apollyoni.

Achilles mercatori imaginum tradit parvam scalam, quam Graecus ascendit, ut nunc, dum fiet sequentia, versetur in imaginibus perquirendis, mox in scala, mox descendens et scalam promovens. A dextris venit Iulia Imperatrix.

IULIA: Romule!

ROMULUS: Cara uxor?

IULIA: Utinam ne hoc saltim momento ientares!

Maiestas deponit cultrum et fuscinulam.

ROMULUS: Si vis, mea Iulia.

IULIA: Valde sollicitor, Romule. Aebius domicurius superior me certiore fecit aliquem nuntium allatum esse terribilem. Non ita quidem confido Aebio, quippe qui sit Germanus, proprio nomine Aebi -

ROMULUS: Aebius est unicus homo, qui sciat profluentem loqui omnibus linguis mundanis, Latina et Graeca et Hebraica et Germanica et Sinica, quamquam equidem confiteor Germanicam et Sinicam mihi videri ean-

dem esse linguam. Sed quacumque ratione, Aebius est tam eruditus quam nullus usquam Romanus esse potest.

IULIA: Videris esse prorsus germanophilus, Romule.

ROMULUS: Gerrae, illos longe non tam vehementer diligo quam meas gallinas.

IULIA: Romule!

ROMULUS: Affer uxoris meae escaria et Odoaceri ovum primum, Pyrame.

IULIA: Recorderis, quaeso, cor meum aegrotum esse.

ROMULUS: Ergo considas et comedas.

Imperatrix gemens a sinistris considit ad mensam.

IULIA: Nonne nunc tandem vis mihi afferre nuntium terribilem?

ROMULUS: Quem ignoro. Nuntius citatissimus, qui eum attulit, dormit.

IULIA: Ergo fac ut excitetur!

ROMULUS: Recordare cor tuum, cara uxor.

IULIA: Mater patriae ut sum...

ROMULUS: Pater patriae ut ego sum fortasse sum Romae Imperator ultimus, ut iam hac de causa in historia mundi mihi sit locus satis desperatus. Quaecumque erunt facta, mihi non ita bene evadent. Unica tantum gloriola nolo deprivari: Ne dicar me umquam sine necessitate perturbasse hominem dormientem.

A sinistris venit Rea principissa.

REA: Salvus sis, pater.

ROMULUS: Salva sis, mea filia.

REA: Bene dormivisti?

ROMULUS: Ex quo sum Imperator, semper bene dormio.

Rea a dextris considit ad mensam.

ROMULUS: Pyrame, affer escaria principissae et Odoaceri ovum secundum.

REA: Oh, Odoacerus peperit ovum secundum?

ROMULUS: Germanus ut est, semper parit. Vin' pernam?

REA: Nolo.

ROMULUS: Nonne assum frigidum?

REA: Non.

ROMULUS: An pisciculum?

REA: Etiam nolo.

ROMULUS: An vinum asparagi?

Ei frons caperat.

REA: Nolo, pater.

ROMULUS: Ex quo a Phylace histrione institueris tragoediis, cibos soles fastidire. Quibusnam verbis studes ediscendis?

REA: Lamentis Antigoniae moriturae.

ROMULUS: Noli studere his verbis vetustis et tristibus, exerce comoediam, quae magis decet nos.

Imperatrix indignatur.

IULIA: Romule, bene scis talia non decere puellam, cuius sponsus e tribus annis tabescat captivus Germanorum.

ROMULUS: Quiescas, uxor. Qui decoxit tam flebiliter quam nos, nihil intellegit nisi comoedias.

ACHILLES: Mavors administer belli gerendi rogat, ut sibi liceat colloqui cum Maiestate tua. Agi de re urgentissima.

ROMULUS: Mirum est, quod administer belli gerendi non nuntiatur nisi ego loquor de litteratura. Veniat si sumpsero cibos matutinos.

IULIA: Nuntia administro belli gerendi familiam imperatoriam gaudere, quod eum visura sit, Achilles.

Achilles dorsum incurvat et abit sinistrorsum. Maiestas mappa os deterget.

ROMULUS: Nimis bellicosa es, cara uxor.

A sinistris venit administer belli gerendi, dorsum incurvat.

MAVORS: Maiestas.

ROMULUS: Mirum est, quam pallidi hodie sint magistratus mei aulici. Quod vidi iam in administro rerum domesticarum. Quid vis, Mavors?

MAVORS: Cum sim administer belli Germanici rationem praestans, flagi-

to, ut Maiestas tua statim recipiat Spurium Titum Mammam praefectum equitum.

ROMULUS: Num ille athleta etiam nunc nondum dormit?

MAVORS: Dedecet militem dormire, si scit Imperatorem esse in angustiis.

ROMULUS: Ehen iam molestor praefectis nimium officiosis.

Imperator surgit.

IULIA: Romulus?

ROMULUS: Cara Iulia?

IULIA: Mox recipies Spurium Titum Mammam.

Pyramus Imperatoris auribus aliquid insusurrat.

ROMULUS: Hoc omnino non necesse est, uxor. Odoacer princeps Germanorum Ticinum expugnavit, nam gallina ab eodem appellata tria ova peperit, ut modo mihi nuntiatumst. Nisi res tanta saltim ratione inter se congruunt, ordo mundi prorsus non exstat.

Ceteri consternati sunt.

REA: Mi pater!

IULIA: Hoc non verumst!

Mavors militari more consistit.

MAVORS: Doleo hoc verum esse, Maiestas. Ticinum cecidit. Romani passi sunt cladem suae historiae omnium amarissimam. Praefectus tradidit ducis militum Orestis verba ultima, qui cum toto exercitu captus est a Germanis.

ROMULUS: Novi ducum meorum verba ultima, antequam a Germanis captantur:

'Dum vivet vena in nobis, nemo cedit.' Quod eorum nemo non dixit. Administer belli, nuntia praefecto equitum, ut nunc tandem cubitum eat.

Mavors mutus dorsum inclinat et exit sinistrorsum.

IULIA: Tibi aliquid agendumst! Romule, tibi statim aliquid agendumst, ne pereamus!

ROMULUS: Hodie post meridiem militibus meis edictum disponam.

IULIA: Legionarii tui ad unum omnes transfugerunt ad Germanos.

ROMULUS: Belle. Si ita, curabo nuntium de valetudine mea promulgandum.

IULIA: Hoc non proderit!

ROMULUS: Quidnam plura faciam quam ut Imperium gubernem, cara uxor.

Apollyon de scala descendit, Imperatori appropinquat et imaginem fictam ostendit.

APOLLYON: Pro hac imagine Ovidii tres nummos aureos tibi praebeo, Maiestas.

ROMULUS: Quattuor. Ovidius enim fuit poeta magnus.

IULIA: Quisnam est iste, Romule?

ROMULUS: Hic est Apollyon Syracusanus mercator artificiorum, cui vendo imagines meas fictas.

IULIA: Optimos Romanae historiae poetas, viros doctos politicosve cave ne profundas!

ROMULUS: Divendimus.

IULIA: Recordare praeter has imagines fictas a patre meo Valentiano nihil tibi relictum.

ROMULUS: Tu quoque mihi relicta es, cara uxor.

REA: Non iam patior!

Ea surgit.

IULIA: Rea!

REA: Ibo Antigonam recitatum.

Exit dextrorsum.

IULIA: Vide filiam quoque tuam te non iam intellegere!

ROMULUS: Quod effectum est sola institutione dramatica.

APOLLYON: Tribus nummis aureis et sex sestertiis. Ultra haec nihil offeram, Maiestas.

ROMULUS: Sume etiam alias imagines. Summatim computabimus.

Apollyon iterum scalam ascendit. A sinistris administer rerum domesti-

carum praeceps incurrit.

TULLIUS ROTUNDUS: Maiestas!

ROMULUS: Quid iterum vis, Tulli Rotunde?

TULLIUS ROTUNDUS: Zeno Isaurus Imperator Imperii Romanorum orientalis, asylum petit.

ROMULUS: Zenon Isaurus? Ne is quidem securus est sua Constantinopoli versans?

TULLIUS ROTUNDUS: Nemo iam securus est in hoc mundo.

ROMULUS: Ubinam est ille?

TULLIUS ROTUNDUS: In procoetone.

ROMULUS: Num secum attulit Sulphuridem Phosphoridemque camerarios suos?

TULLIUS ROTUNDUS: Praeter eos nemo cum Zenone fugere potuit.

ROMULUS: Si Sulphurides atque Phosphorides foris manserint, Zenoni licebit intrare. Camerarii enim Byzantini nimium dediti sunt formulis sollempnibus.

TULLIUS ROTUNDUS: Ut iubes, mi Imperator.

A sinistris Zeno Isaurus Imperator praeceps incurrit, veste multo pretiosiore et elegantiore indutus quam collega Romae occidentalis. Ambo camerarii, qui ad ianuam apparent lamentantes, a Pyramo et Achille ultimo momento temporis foras urgentur.

ZENO: Salutem tibi dico, frater Imperator excelse.

ROMULUS: Salve.

ZENO: Salutem tibi dico, soror Imperatrix excelsa!

IULIA: Salutem tibi dico, frater Imperator excelse.

Inter se amplectuntur. Zeno procumbit more Imperatoris Romae orientalis asylum petentis.

Nicolaus Gross
Germanus Coreanensis

Comoediae pars tertia in proximo libello sequetur !

Subnoto RV, ut ipse accipiam
(Ich abonniere RV für mich selber)

Subnoto RV DONO DATUM ei, cuius
inscriptio cursualis supra indicata est
(Ich abonniere RV als Geschenkabonne-
ment für jemanden, dessen Adresse oben
angegeben ist):

Factura subnotationis mittenda est ad inscrip-
tionem cursualem infra indicatam (Die Abonne-
mentsrechnung ist zu senden an):

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte
frankieren

RVMOR VARIVS
C/o EDITIONS DU LAC
Estelle GITTA
Ch. F.-Lehmann 2
1218 Grand-Saconnex


PP/Journal

4702 Oensingen

4/2001

IDIBVS NOVEMBRIBVS

MMI



RVMOR VARIVS



TOMVS 24

FASC. 140